
106 453



QUÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS

manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Iovis 23. Martii.

M. STEPHANO BACHOT, Doctore Medico, Præſide.

An Chocolatæ uſus ſalubris?

I.

HOMINEM brevi calor vitalis perimeret, niſi tam præcipiti exitio Natura πλουσίη, ϗ πάντων πηνὸς δὲ αὐταρκείης, unicum alimenti præſidium opponeret. Hinc fit ut quidquid vivit, illud nutriri oporteat, ad reſtaurationem triplicis, quæ continenter effluit, ſubſtantiæ. Sic eadem non animalibus modò, verùm etiam ſtirpibus, inſitas quaſdam vires deficientis ac deſiderati ſemper appetentes, ab initiô ſtatim dedit; ut quàm diutiſſimè fieri poſſet, omnia ſe ab interitu tutarentur. Aliquot tamen homines ad annum vixiſſe ſine alimento, nec fabulas putes, nec miracula. Porrò non una ſemper eademque manet hominem cibandi ratio, ſed ſua cuique ſtat propria & peculiaris alimonia, ut pro diversâ utentium temperie, variæ quóque ſint alimentorum differentiæ. Si multum, & valentis materiæ cibum, qualis ſanorum eſt, ægris ſuppedites, imminet ſuffocatio; ſi benè valenti infirmum, paucum & frigidum, vix erit alendo. Inedia quæ ægrotantibus conducit, tam intuta ſanis eſt, ut dum hâc ipsâ vitæ longævitatem emere ſtudent, ἀποκαρτερισμῷ ſæpiùs fatum accelerent. Sic ſanis & ægris

contrariæ ſunt alimentorum vices, quæ ex plantis duntaxat & animalibus deprompta mutuantur.

I I.

UT ex quolibet lignô non fingitur Mercurius, ſic nec ex quolibet mixto fit alimentum: Hoc ſolo dignamur nomine, quod eſt conſociale vitæ noſtræ principiis, aliàs, æquivocè duntaxat alimentum eſt. Calore & humido vivimus: Utrúmque tractu temporis deſinit ac deficit φύσει καὶ ἀνάγκῃ, inde ineluctabilis mortis neceſſitas, quæ prohiberi quidem non poteſt, retardari verò plurimùm. Hoc præſtat alimentum ſimplex, euchymum, εὐανάδοτον, καὶ οὗ ἐπικρατέειν ῥαδίως δύναται ἡ φύσις; dummodo quantitate non peccet: ab ingeſtô enim plus æquô, ἐφόδιον εἰς ἀπεψίαν, πόνοι, ἀῤῥωστία, νόσοι, καὶ φθίσις τοῦ σώματος, tandémque mors ipſa conſequitur. Quantitas autem illa definiri non poteſt μήδε σταθμῷ, μήδ' ἀριθμῷ, ut ridiculè voluit nobilis ille Venetus nomine Cornaro, ἀλλα τῇ τοῦ σώματος αἰσθήσει.

I I I.

INTER alimenta principem locum obtinet, quod minùs eſt excrementitium, & plurimùm in ſe continet pinguis, & oleoſæ ſubſtantiæ. His præditum dotibus nullum calori nativo negotium faceſſit, ſed totum ferè abit in ſubſidium radicalis humidi, quod calor noſter naturalis παμφάγος quotidie depaſcit ac deprædatur. Cibus autem ille qui ita analogus eſt vitæ noſtræ principiis, ubique præſto non eſt: Fruſtrà eum quæras inter Chymiſtarum impoſtorum vividos latices, olea incombuſta, potabile aurum, panaceam, ac ſimiles ejuſmodi nugas: non inter dubias illas pollucibiles & lautiſſimas cænas; nedum inter quælibet gulæ irritamenta, tyrotarichos, tuceta, tomacula, capniſtas carnes, pulmenta, pernas, minutalia, trunculos, apexabones, cæteráſque cupedias & ſcitamenta, quæ gulæ architecti, γνάθου δοῦλοι, καὶ νηδύος ἡσσημένοι, in blandam hominum perniciem excogitârunt.

I V.

UNUS Chocolatæ cibus vel potus vitæ noſtræ principiis favet; Ab eo triplicis ſubſtantiæ indefinens

reparatur effluvium, & caloris vitalis fugax vivacitas suffrænatur: ab eo generantur & multiplicantur spiritus, animæ & corporis vincula. Omnium cùm sit alimentorum εὐστομαχώτατον, cum voluptate sumitur & coquitur, nullo penè superstite ac restibili excremento: flatus in corpore ab imbecillo calore genitos discutit, onustum cibis stomachum levat, quorum coctionem promovet, nullo ventriculi negotio, ut quisque se impunè cum amicis plusculùm invitare valeat, si Chocolata non desit. Dicam compendio, mortis limitem movet in senibus. Sed cave ne in illius delectu, torrefactione, triturâ, & mixtione hallucinêris aut pecces; siquidem ex Cratinô Comicô, οὐ παντὸς ἀνδρός ἐστιν, ἀρτῦσαι καλῶς.

V.

CHOCOLATA massula quædam est, seu confectio omnium exquisitissima, quam Indis Occidentalibus referre debemus acceptam. Si quæ eam ingrediuntur, expendas, nulli secunda. Occurrit primùm cacao, prædictæ confectionis caput & basis, fructus arboris amygdalam inclusam in nuce referens, temperie frigidus siccus, ex quo triturato succus quidam pinguis & oleosus radicali nostro humido affinis exprimitur. Huic succedit Vanillia Chocolatæ anima, arboris Indicæ fructus, balsamum referens, odoris & succi bonitate præcellens, quam si de Chocolatâ detrahas, ver ex anno sustuleris. Ambarum Grisium excipit Vanillia, genus quoddam bituminis, quod mare è suis fontibus & alveis procellarum vi in littus eructat, temperie calidum humidum, cerebro partibusque principibus suo odore recreandis, reficiendis spiritibus, & viribus erigendis aptissimum. Ambaro Moschus jungitur, odoratissima illa & suavissima sanies, regum & magnatum deliciæ, cordis robur & jucunditas. Cinnamomum additur Moscho, Galeni tempore genus aromatis rarissimum, ut soli Imp. haberent, & curiosè servarent in scriniis. Ultimo loco Zuccarum, antiquis ignotum, adjicitur, temperie calidum humidum, cujus dotes frequens & multiplex usus satis superque commendat. Solvitur in embammatis, cogitur in orbiculos, digeritur in panes,

pinſitur in placentas, tornatur in cruſtula, fingitur in caſtella, in aviculas, & in rerum omnium ſimulacra, coquitur, aſpergitur, duratur, incruſtatur. Ex quibus omnibus unà & ex arte permixtis exurgit nobilis illa confectio, vel potiùs omnium lautitiarum epitome, vincens Nectar & Ambroſiam, latices epulaſque deorum, ut veriùs Chocolata dici debeat τῶν θεῶν τροφὴ, quàm olim Claudii Cæſaris boletus.

Ergo Chocolatæ uſus ſalubris.

Proponebat Pariſiis FRANCISCUS FOUCAULT Genabenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1684.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.